



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

7. Dies Novemb. Quid petentibus se, non dabit, qui seipsum non  
petentibus dedit. S. Chrysologus serm. 67.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

tutius, quàm illi qui totus est tui tutela? cui secreta, quàm illi qui est secretissimus, cui potius revelabis tua abscondita? quàm illi, qui videt in abscondito? quocum ages confidentius, quàm cum eo, cui es perfectissimus? qui ea quæ per te novit, à te nosse cupit, ut communicationis fiducia obtineat consilii & solatii gratiam. Cave autem loquaris ore, non corde: illo laudes, hoc non æstimes; illo roges, hoc non desideres: honores illum non tam labiis, quàm officiis. Quid proderit, imò quantum non oberit, orantes attollere manus ad cælum, & oculos declinare in terram; cum tanta Majestate miscere colloquium, & cum quibuscumque hominibus cogitando habere commercium, sermocinari cum Deo, & negotiari in foro? Alloqui Divini decus est, reverentia, dos est sinceritas, sine quibus si Deo loqueris, familiaritatis jura infringis, humanitatis leges violas, & ubi debuisses, certè potuisses, sperare beneficium, debes expectare supplicium. Denique ut cum fructu ores, transcendente animo omnia & conscende ad eum qui est super omnia. Eris super omnia, atque ad eum securus, si sis sub Deo, hoc est non tam ore, quàm corde orare, quia

*Dum cor non orat, ne quicquam lingua laborat.*

### 7. DIES NOVEMB.

Quid petentibus se, non dabit, qui seipsum non petentibus dedit. *S. Chrysologus serm. 67.*

Oratio. I.

**Q**uanta ex hac tessera nobis, quid vis à Deo impetrâdi oritur fiducia, quid negabit qui se donavit? scilicet, qui dedit se, non dabit

dabit sua? Fovebis cum Deo familiaritatem, si orationem tibi habeas familiarem: quia nutrix familiaritatis cum Deo, est supplex oratio. Hujus quanta est pro homine utilitas, tanta est pro salute hominis necessitas. Fateor, summa est homini necessitas alimenti: possumus esse sine parentibus, sine vestibus, sine ædibus, sine lecto, & alia quacunque domus supellectile; at sine cibo, pereat necesse est homo. Tamen licet videatur hæc esse ultima necessitas, multò tamen magis est necessaria oratio animæ, quàm cibus corpori. (a) Hinc teste Chrysofomo, quod anima est corpori, id animæ est oratio. Aliquot saltem diebus, licet agrè, absque cibo, licet vivere, sine animâ nec momento licet unico. Hæc causa est cur Servator dicat, (b) *oportet semper orare & non deficere*. Sicut ergò oportet semper, ut vivas, corpore haurire aerem, sic oportet semper aspirare ad Deum orando, ut vivas spiritu. Oratio magis est necessaria, quàm homini ægro pedibus, aut manibus, amieis, & opibus destituto, necessarium sit stipem petere. Quid enim aliud miser ille faciat? cū neque pedes habeat ut incedat, neq; manus ut laboret, neq; facultates ut sibi ad vitâ sustentandam necessariis prospiciat, adeoq; nisi perire velit, egestati suæ subsidium quærere mendicando compellatur.

II. Atqui multò major est spiritualis nostra necessitas quàm corporalis ulla vel esse, vel concipi queat: nam si perinde hæc spiritualis paupertas sentiretur, uti corporalis, cælum lachrymis gemitibusque fatigarem affiduè. Non esset unus è cœlitibus quem non interpellarem precibus. Quis credat hominem aliquem in una eademque re, divitias, honorem, salutem, robur, & quidquid

(a) *L. de Orand. Deo.* (b) *Luc. 18. 1* optare

optare queat reperientem, illam oblivisci posse, turpiterque negligere? Quæ igitur amentia est cum in oratione, unicum omnium spiritualium nostrarum miseriarum refugium, contra omnes necessitates tutelam, ac præsidium firmissimum, malorum cunctorum præsentissimum remedium, bona denique omnia, ipsumque illum qui est omne bonum habeamus, quod eadem tam negligenter oscitanterque utamur, maxime cum ex ejus neglectu, & oblivione tam ingentia damna oriantur. Estimemus igitur hoc inestimabile bonum, ut par est. Gratias quantas possumus maximas agamus pro gratia illa maxima, & favore optimi Numinis præstolantis ut nobis orantibus sit præsto, beneficia quæ petimus præstando, nec dubitemus, quin simus certo impetraturi, quæ illum rogamus, cum nos roget ut se rogemus. Itaque nolle eum, cum ipse nos urgeat, orando rogare, est illi injuriam immodicam irrogare.

III. Potestne felicitas ulla cum nostra, quia incomparabilis, comparari, qua semper pro nostro arbitrio, ac desiderio possumus, cum supremo illo cæli, terræque monarcha sermocinari, & pro felici æternitate negotiari? Non uti tanta felicitate, vel abuti tanta Dei benignitate, nunquid summa est stultitia, supina negligentia, maxima impudentia, ultima desperatio? Quid quod vel ideò cogamur orare, quia oratio nos Deo conjungit? miseros nos, ac infelices, si à Deo separemur: quid enim tunc præsidii, quid remedii, quid consilii, sit reliquum? quid agnellus faciat à matre avulsus sine lacte, sine pascu, nisi ut pereat? membra item nostra à reliquo abstracta  
corpo-

corpore, quam vitam habeant? Elementa à centro suo remota quantoperè luctantur? sicut iraque elementis necessarium est centrum, corpori membra, agnello mater: ita ut Deo fruamur, & cœlesti gloriâ potiamur, necessaria est oratio. Ut igitur eam illo, quo par est modo orationem instituamus, ab omnibus exterioribus, visibilibusque rebus sejuncti, in desertum ac solitudinem cordis nostri scedamus, inibi regnum Dei reperturi: animo enim nostro plusquam totum cœlum claudemus, quia ipsum Deum eodem, quantum possumus complectemur. Sed ut sint potentiores ad quidvis impetrandum preces, nullæ sint in corde precantis solides, non hoc mecum, sed Poëtæ est consilium:

*Amacula sordis munda orans intima cordis,*

## 8. DIES NOVEMBRIS.

Considera, quid, quis, qualis sis: quid in natura, quis in persona; qualis in vita. *S. Bernardus libr. de consil.*

Medita- I.  
tio.

**H**Æc tria, si cum otio consideres, evenient super te sidera, e-  
ris horum meditatione nota-  
tum tibi dissimilis, sed plau-  
nè alius. Sed ut illa assequaris, proderit frequenter  
ad futura omnia animum meditando explicare. Si-  
cut necessaria est, ut Deum consulas, oratio, sicut  
tibi contulas, meditatio: quàm illa debet esse fer-  
vens, tam hæc sit frequens; hæc una futura omnia  
ut apprehendes, sic animo comprehendes. Quo  
pacto quis, ut perennis exitii, in quæ incidere potest  
pericula, declinabit; aut gloriæ, quam sperat, &  
Kkk 5 optat